



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

VIII. Alii quinque dies Mensis Maji.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

que hodie, patre admodum sene *Wilhelmum* comitante, voto suo apud *Lindam* defunctus est. Poterat hisce duobus adjungi tertius, non quidem ex eodem pago, ex eodem tamen Ducatu, *Joannes Lichora* in *Grajow*, *Letzensis* municipii pago inquilinus, qui eodem die votum suum *Lindæ* persolvit, sed quo *Deiparæ* beneficio fuisset affectus, inquiri & consignari per temporis angustias non potuit.

### C A P V T VIII.

Alii quinque mensis *Maji* dies.

**I**nitium his atque auspicium *Dominica* sanctissimæ *Trinitatis*, in *x. Cal. Jun.* incidens dedit, quâ civitas *Bisteinent.* pro accepto more, vel potius pietate sua annuam processionem *Resselium*, & in vicinum *Resselio* pagum *Robawen* promovit, & unâ multos ad sui imitationem cum aliâs semper, tum hoc quoque anno permovit. Sed & præter *Bisteinentes*, plurimi ea ipsa die aliunde *Lindam* accesserunt.

#### I.

*Morbus comitialis depulsus.*

*Prisca* *Laurentii Teicher* civis *Vormditensis* uxor, quod à quatuor jam annis facit, votum annuum persolvit. Voti causa fuit comitialis morbus: quo, sicut ob terrorem à milite quodam incussum, subito fuit correpta, ita ob votum ad *Deiparam Lindensem* factum, confestim erepta.

## II.

## Tumor hydropticus discussus.

Janowka oppidum est cis Augustoviam, octode-  
 cim fere leucas Linda distitum. Illic ante biennium  
 Joannes Jargonozik cum aliis morbis vexatus, tum  
 hydroptico tumore, à festo S. Jacobi usque ad S. Tho-  
 maz Apostoli, toto corpore ita suffusus fuit, ut, cum  
 manu pars aliqua corporis attingeretur, non tam  
 corpus, quam massa quædam videretur tangi : &  
 cum decumbens in alterutrum latus caput inclina-  
 ret, oculi præ eminente tumore, ut nihil omnino cer-  
 neret, obturarentur. Fortè à peregrinis aliisque ami-  
 cis, mentio de beneficiis Deiparæ Lindensis facta,  
 singularem in agro spem, religionemque accen-  
 dit. Votum igitur, non Lindam modo adeundi  
 verùm & pane mendicato iter agendi, subito con-  
 cepit, simulque ope Deiparæ sanitatem recipit. Cu-  
 jus rei testimonium ab Admodum R. D. Valentino  
 Goworowski, Janoviensi Parocho scripto datum,  
 & manu sigilloque ejusdem munitum, Anno  
 MDCLV. die xxv. cum accepisset, iter citra moram  
 ingressus est. Quia verò quovis anno, dum  
 vita superaret, iterare eandem peregrinationem  
 promisit, etjam hoc anno promissis hac ipsa die  
 respondit.

## III.

Inusitatum apostematis genus & hernia  
curata.

Eâdem die Regiomonto adfuerunt sorores duæ Bartholomæi N. viri catholicâ pietate, ad quam è Lutheranis castris redierat, inter paucos excellentis filix: quarum illa primùm Ioanni Beer, deinde verò Ioanni Deiner, hæc verò Iacobo Cessau Crustulario Regio, homini Gallo nupsit. Atque Esther quidem Ioannem filiolum septennem, quem è Ioanne Beer Colonia oriundo, & præclaro inter Regiomontanos œnopolâ susceperat, voti reum Deipara præsentem exhibuit, ut iam tum agnosceret, cuius beneficio vitam, secundum Deum, duceret. Quartum ætatis annum cum esset ingressus, insolens quoddam apostema ventrem pueri occupavit; quod per magnam corporis partem diductum ac diffusum, nullam puero quietem relinquebat: ut præ doloris magnitudine, necingulo quidem accingi unquam posset. Ad extremum ita malum induruit, ut nulla medicorum (qui quotquot Regiomonti sunt, adhibiti fuerunt) potuerit ope emolliri, ne dicam curari. Plerique eorum pro deposito puerum habebant, quidam non nisi pauculos ætatis promittebat annos. Verùm ubi mater filiolum DEI Matri apud Lindam obtulit; malum ita præter spem continuò dissipatum depulsumque est, ut cum intereâ novo cuiusdam Doctore, qui Regiomontum appulerat, curandus puer offerretur, Doctorque illum perlu-

straret)

traret, vitio nullo corporis reperto, sanum undique pronuntiârit. In cujus rei monumentum, grata Deiparæ mater insignem Tabellam argenteam, in qua Christi Domini à Pilato judicati, historia sculpta & sacramento perlita visitur, hâc ipsâ die dedicavit. Ac verò Anna soror, suâ filiiq̃ue sui Alexandri, quem novennem Deiparæ coràm stitit, causâ alteram Tabellam, in qua insigni opere Deiparæ imago protuberat, dicavit. Cùm enim filiolum illum parturiret, gravi & periculosâ herniâ afflicta fuit, quâ tamen perinde, uti partu, soluta fuit, ubi se Deiparæ Lindensî voto singulari obstrinxit.

## IV.

Quinque homines, à variis gravibusq̃ue morbis liberati.

Przerosla oppidum est Podlachia, viginti circiter leucis Lindâ distans, ex quo viri quinque Lindam hâc eadem die venientes, scriptum à suo Parocho testimonium, de sui itineris causa, hoc est de perceptis Deiparæ Lindensî ope beneficiis, attulerunt. Est autem hujuscemodi:

Laurentius Badovsky Parochus Przeroslensis, hoc meo scripto attestor, congregatos homines, honestos cives Przeroslenses, simul ad locum sacrum, hoc est, ad B. Virginis Lindam proficisci; ad quam in variis morbis & periculis suis, sua nuncupârunt vota: gratias videlicet acturi, & constanter professuri, quod patrocinio B. Virginis, verè à suis eruti sint infortunis. Eorum porro nomina hoc eodem scripto meo exprimo; quæ sunt, Martinus Gursky, Andreas Boravsky, Petrus VVikim, Michael Bier-

F. n.

nat;

viat; & quinta matrona quadam honesta. Quorum insuper  
 nomine oro, ut quovis loco liberam habeant ultrocitraque  
 commeandi potestatem. Quæ porro reverendus D. Pa-  
 rochus de beneficiis Deiparæ universim memoravit,  
 ipsi sigillatim paucis recentuerunt. Martinus Gursky  
 arborem in silva cædens, dextrum genu ab eadem  
 cadente ictum, ossibus extra juncturam vertebraeque  
 protrusis, & nervis vehementer collisis, à mense Se-  
 ptembri ad medium fere Novembris decumbebat.  
 Cujusdam amici suasu Lindensem peregrinationem  
 vovit, & repente convaluit; ut, cum paulò antè neque  
 pedes, neque cætera membra loco movere posset,  
 susceptum Lindam iter, majore, quàm quisquam spe-  
 rare potuisset, fiducia constantiaque absolverit. Jam  
 verò Andreas Boraſky, nato intra caput ulcere,  
 totam æstatem cruciatus, cujusdam itidem amici  
 suasu, quin & voto ejus causâ suscepto Lindam obla-  
 tus, rupto confestim intra caput ulcere, & purulentâ  
 sanie per aures largè effusâ, probè convaluit. Petrus  
 verò Willim, ex ingenti animi tristitia, ad sævissimos  
 capitis dolores, quin & insaniam adactus est; ut ne-  
 cesse fuerit hominem vinculis & compedibus ferreis  
 coërceri. Quibus in vinculis & calamitate, supra  
 hebdomadas septem egit; quoad voto per amicos  
 Lindam facto, morbo primùm, tum deinde & vin-  
 culis exemptus est. Denique Michaël Biernat leptua-  
 genario major, circa festum Epiphaniæ paralyti ca-  
 ctus, neque linguam, neque corpus reliquum move-  
 re potuit. Voto, quod amicorum quidam persuasit,  
 Lindam nuncupato, ita ad se rediit, ut supra suam o-  
 mniumque spem, tantum iter pedes ingredi, & con-  
 fier-

tere potuerit. Unde tanti & tam multiplicis me-  
mor beneficii, non sine uberibus lacrymis, quamvis  
non nihil adhuc cespitante lingua, DEI & Dei paræ in-  
te clementiam prædicavit; & quemadmodum vene-  
rat, Lindam sese domum pedes receperit.

V.

Morbo comitiali virgo liberata.

Pauli Lehman civis Bisteimensis filia Elisabeth,  
quinque ac decimum ætatis annum ingressa jam  
erat. Confirmatam ita virginis ætatem Hercules  
morbus est aggressus, quo sæpius intra annum hunc  
miserimè afflicta, parentes denique permovit, ut  
Matrem DEI apud Lindam appellarent; dignaretur  
illa, oculis misericordiæ plenis aspicere sobolem su-  
am, quam ipsi ita miserè habitam longiùs aspicere  
non sustinerent. Addunt precibus votum, si mor-  
bus esset depulsus, profectioem Lindam initu-  
ros, & filiam DEI Marti coràm stituros. Votum salus  
consectim secuta, parentes unà cum incolumi jam fi-  
lia non ad edendum duntaxat beneficii accepti do-  
cumentum, verùm & ad debitum pietatis officium  
Lindam ad ix. Cal. Jun. exiit.

VI.

Nobilis juvenis à febre, paralyti, & epilepsia, malefi-  
corum arte immixtis liberatus.

Octavâ ante Calend. Jun. die; in Galliam iturus,  
voti solvendi causâ, Lindam restâ divertit nobi-  
lis ac generosus D. Thomas Glinka Janc-  
zewsky, illustris & magnifici viti, D. Adami  
Glin-

V u 2

Glin-

Glinka Janczewsky, Notarii Terræ Visnensis filius, Absolutis paulò antè Resselii studiis literarum, è comitiis Anno MDCLII. Brestæ celebratis, domum reversus, ad nuptias cujusdam Virginis, nobilitate generis magis, quàm fortasse virtute claræ, invitabatur; quas ille cùm justis de causis refugeret, nefandis maleficorum artibus perstrictus, primùm febris malignæ, tum eâ necdum repulsâ, paralyti insuper corripitur. Et jam extra se atque sensus erat positus, cùm Domini parentis voto divæ Virgini Lindensi oblatas, confestim & à febre, & à paralyti liberatus est. Recurrente postmodum anno, ipsâ Præsentationis B. Virginis die, ex iisdem maleficorum maleficiorum que causis, morbo comitiali ita correptus est, ut intra diem vicies ac quater gravissimè miserime que afflictus humi collideretur. Ergo Dominus parens iterum ad B. V. Lindensem recurrit, & non majore, quàm antea, negotio, sanitatem filio impetrat. Unde filius, tum ut suscepti ab se in Galliam itineris, secundiorum ab auspiciis Deiparæ peregrinationem redderet, tum multò magis, ut pro tot tantisque jam acceptis beneficiis gratias ageret, Lindam accessit, & quæ hinc memorata sunt, manu suâ hunc in modum subscripsit:

*Ita esse testor, ego Thomas Glinka Janczewsky  
manu propria*

## VII.

Vulnus in gangrænam desinens curatum.

Ad VII. Cal. Jun. annuam, pro recepto sibi morbo, peregrinationem Lindæ absolvit Joannes Fischer Meellaccensis. Isocto ante annos, dextrum genu for-



to, sed gravi casu vulneratus, per duos annos, vul-  
te sensim in gangrænam degenerante, non nisi ful-  
subalaribus nixus, gradum utcunque facere, aut  
ius reptare potuit. Facto Lindensis protectionis  
iisdem quibus biennio erat ulus, fulcris eò ad-  
pfit, simulque morbum omnem, adjuvante Lin-  
enti patronâ, quasi iisdem fulcris aut potius fustibus  
le abegit. Tanti memor beneficii, quo vis deinceps  
ano, ut Patronæ tantæ gratias agat, sele apud Lin-  
dam ipsius supplicem juxta ac præsentem sistit.

### VIII.

#### Periculosa febris repulsa.

Eâdem die Lucas Hell, ex Hohendorff Meelsac-  
centis agri pago Lindæ comparuit. Tres ante annos,  
per novem hebdomadas confectus, eoque re-  
ctus est; ut neque erigere, neque adeò ampliùs se  
bisse, neque demum aliorum spe producere vitam  
posset: ubi nonnihil ad se reversus, ad B. V. Linden-  
tem per votum à se nuncupatum confugit, febris in  
tumorem duarum hebdomadum versa, hominem  
penitus deseruit.

### IX.

#### Colici dolores repressi.

Plures illâ ipsâ die è Meelsaccensi municipio Lin-  
dam accessere: quos inter Petrus Praal è Wusensi  
pago colonus, gravissimis viscerum torminibus ab  
anno discruciat, propinquorum votis Divæ Lin-  
denti oblati sensim melius habere cepit: ubi verò  
Lindam versus iter arripuit, supra spem omnem, qui

Vu 3

aliàs

aliàs vix mille passus emetiri ægerrimè poterat, citra  
dolorem omnem ac molestiam, sanus & alacer triginta  
quatuor millia passuum decurrit.

## X.

## Febris, &amp; dentium dolor curatus.

Palten ejusdem coloniz Meelfaccensis pagus est,  
è quo Jacobus, Jacobi Kuhn coloni filius, & Doro-  
thea Pauli Lehman, cum cæteris, Lindam eadem ad-  
venire die. Ac Jacobus quidem, verno superioris an-  
ni tempore, ex febre decubuit, ut præ nimio æstu ac  
dolore, duas minimùm hebdomas omni somno  
destitueretur; at verò Dorothea per octodecim men-  
ses incredibili dentium cruciatu afflicta est, exagge-  
ratâ vi mali pharmaca cæteraque remedia omnia in-  
perante; nam quatuor omnino dentibus per chirur-  
gum exemptis, dolor & perennis cruciatus eximie  
non potuit. Utriusque tamen morbo facile à Despa-  
ra Lindensi admotum remedium, ubi votum Lin-  
densis peregrinationis, instar malagmatis admotum  
fuit. Quam quidem peregrinationem uterque pedes  
absolvit, propè octoginta passuum millia ultracitro,  
que emensus.

## XI.

Capitis ac pectoris dolor, præsensque in partu  
mortis periculum depulsum.

Packhausen ejusdem municipii pagus itidem est:  
unde peregrinationis comites cæteris accessere. Re-  
gina Michaëlis Klud, & Elisabetha Matthæi Dresp-  
filia. Quarum illa quidem & capitis & pectoris dor-  
lores,

ores, per hebdomadas decem, sanè quàm graves sustinuit; quibus extemplo soluta est, ubi Lindam se profecturam vovit; quam profectioem ulro citroque pedes absolvit; jam verò Elisabetha inter periculosissimos partus dolores extra sensus omnemque vitæ spem posita, voto per Gertrudem matrem Lindam facto, non modò fœrum enixa feliciter est, verum & sanitatem mox consecuta.

## XII.

Quinque homines, variis eodem in loco morbis relevati.

Zeugninen Meelfaccensis agri pagus est, nobiliſſimam piscinâ, aliquâ sui partem eundem interluente pagum, & ipse spectabilis. In cæteris hâc ipsâ die peregrinis adjuncti fuerunt; Joannes Grub, unâ cum Catharina uxore sua; qui susceptum liberorum pecorisque causâ votum dederunt. Nam & Jacobus novennis puer, ante triennium ex variolis, & Daniel vixdum natus, ex utraque aure admodum exulcerata, periculum vitæ adiciant; simul verò atque Deiparæ Lindensî à parentibus oblatis sunt, omni prorsum morbo periculoque exempti fuerunt; pecora verò cum sæpius lue percussa decederent, simili ad B. Virginem Lindentem voto conservata sunt. Qua de causa, quovis anno uterque conjux Lindenſem prosequitur peregrinationem. Pari voto Gertrudis Fabiani Hepner filia atrocibus viscerum.

torminibus exercuciata, repentè convaluit; & quem-  
admodum promiserat, pedes Lindam usque iter con-  
fecit. Pedes itidem tantundem confecit itineris, qui  
paulò antè intra Charontis, ut ajunt, cymbam vide-  
batur imposuisse pedem, Gasparus Rokel Laurentii  
coloni filius. Sub vernum anni superioris tempus,  
diutinâ tabe consumptus, & morti omnium judicio  
proximus, imò mortuus apud vicinos proclamatus,  
in extremo illo vitæ articulo sibi nonnihil redditus,  
votum ad B. V. Lindensem concepit: & sanitatem è  
vestigio recepit. Denique Christina Gasparis Wel-  
cke filia, non jam ver, sed autumnum ejusdem anni  
sibi noxium experta est. Brachium dexterum per ali-  
quot hebdomadas sædè exulceratum, nulla aut à chi-  
rurgis, aut aliunde admota præsidia curare potue-  
runt. Curavit B. Virgo, ubi illius apud Lindam opem  
imploravit. Hinc illa voti solvendi causâ, pedes iter  
est ingressa, & deposito simul, quod mater pro peco-  
re à lue persanato voverat, anathemate, pedes do-  
mum regressa est.

## XIII.

## Oculorum, &amp; pedis dolores levati.

Ejusdem quoque municipii pagus est Petunen, in  
quo Georgius Gerigk prætor (scultetū vulgò appella-  
nt) triennium acerrimos oculorum dolores per-  
pessus, ac propemodum mente emotus, ut præcu-  
riatum vehementiâ in parietes, januas, terramque  
ipsam manibus impingeret, aut potius involaret; Mi-  
serata sortem viri Catharina uxor, neque tamen ul-  
quam remedium experta, Divam Lindensem simul  
invo-

invocavit, simul patronam hospitatricemque mariti  
sensit. Eodem in pago, atque eodem fere oculorum  
morbo per novem circiter menses discruciatam fuit  
Dorothea, Jacobi Runau coloni uxor: auxit dolorem  
matris, dolor quem filius Petrus dextro pede, sanè  
vehementem patiebatur: sed omnibus remedium sub-  
itò affuit, postquam Diva Lindensis invocata fuit;  
cui proinde, ut par erat, institutâ hodie peregrinatio-  
ne gratiæ sunt actæ.

#### XIV.

Febris, aliique tum pedum tum corporis  
morbi abacti.

Non eodem ex loco, quanquam ex eodem fere  
municipio, atque eadem die, vota persolverunt sua  
Benedictus Protman, ex Lilienthal prætoris filius,  
Anna Petri Margensfeld è Sonenberg filia, & Petrus  
Rohfeder è Peterswald. Atque huic quidem testi-  
monium perhibuit coràm ipse reverendus Dominus  
Parochus Peterswaldensis, quod proxima æstate,  
per quàm vehementi pedum dolore afflictus, neque  
alio quàm Deiparæ Lindensis, ad quam votum pe-  
regrinationis ediderat, auxilio curatus sit: Benedictus  
verò ipse coràm eadem professus est, non aliunde si-  
bi per eandem æstatem gravissimâ febre laboranti,  
quàm à Diva Lindensi, præsidium salutemque afful-  
sisse. Denique & Anna virgo prostratis toto corpo-  
re viribus, ut neque progredi, ac ne repere quidem  
de loco posset, voto ejusdem peregrinationis edito,  
sanitatem sibi fuisse redditam sanctè affirmavit.

V u s

CAPIT